

43.

*Q. D. B. V.*

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE

# DOLORE CEPHALICO

QVAM

SVB PRÆSIDIO

DN. FRIDERICI HOFFMANNI

ORDINIS MEDICI SENIORIS & h. t.  
DECANI

## PRO LICENTIA

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS RITE  
CONSEQUENDIS

*Ad. d. Martii Anno MDCCXXXI.*

Publico eruditorum examini subjicit

MATTHIAS BENTZIG

HVN GAR VS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

GOERGE CETHVICO  
DILECTATIO HANAVARVS MEGICVS

IN HONORIBUS HONORIBUS

AGRICOLA

ETIACUM

ANTONIUS



DISPUTATIO SOLENNIS MEDICA.  
DE  
**DOLORE CEPHALICO**  
PROOEMIVM.



Nter alia eaque plurima,  
quæ genus humanum post  
miserum lapsum acerbius af-  
fligunt, poenarum genera,  
non postremum intolerabiles  
dolores sibi vindicare locum  
videntur. Horum subinde tanta vis ac pote-  
stas est, ut non modo functiones partium cor-  
poris humani pervertendo sanitatem lædant, sed

A 2

& le-

& lege consortii ac commercii, in interiora animæ, imo ipsius mentis penetrando, summam & tristem anxietatem atque inquietudinem ad desperationem usque inferant, ut saepius non aliud nisi a morte remedium queratur. Horum etiam tanta saepius est ferocia atque vehementia, ut gravissimos imo non raro funestos morbos, ut sunt febres, convulsiones, deliria, lipothyrmæ, summæ virium prostrationes, concitent. Quo graviores vero & plane intolerabiles sunt illi affectus, qui non corpus sed animam simul saeviter excruciant; eo naturæ humanæ nihil potest evenire gratius, nihil iucundius, nihil desideratius, ac dolorum ferociam lenientibus, vel ex toto tollentibus idoneis remediis. Id quod unice cum expectandum sit a sagaci & perito Medico, non dubitavi, in edendo specimine eruditionis publico, ingenii mei vires circa utilissimam dolorum materiam exercere. In specie vero mihi visum est, de DOLORIBVS CAPITIS agere, quia frequentissimi sunt & nulli sexui, nulli ætati, nullique temperamento parcent, diutius etiam ægrotantem tenere consue-

suescunt. Horum itaque sedem, originem ac cautas non modo paulo enucleatus investigabo, sed & qua facili ac tuta via & methodo, quibusve aptis remediiis eorum curationem aggredi & exequi Medicus possit, demonstratum dabo. Benignissimum Numen annuat cœptis.

§. I.

**V**T ordine in hac disquisitione procedamus, primo, omnium dolorum in genere sedes, in qua scilicet parte eorum causa hæreat & tyrannidem suam in corpus & animam exerceat, inquirenda venit. Jam vero attenta observatione constat, commercium illud quod anima cum corpore & corpori cum anima intercedit, divina & inexhausta sapientia in systemate partium fibroso-nervearum possum & constitutum esse, ea lege, ut mediantibus his partibus, corpus & quæ in eo fiunt mutationes animam variis modis afficeret ac determinare possint.

§. II.

Porro etiam planissime constat, quod si in partes illas corporis, ex pluribus fibroso-nerveis staminibus contextæ quæ sunt, incidat quedam violentia, ita, ut vel ab alio corpore nimium distendantur, distrahanter aut comprimantur, vellentur, arrodantur

A 3

aut

aut contrahantur, molestissimam & valde anxiam ac tristem in anima oriri sensationem, eamque non nisi causa sublata cessare. Qui constans natura microcosmica effectus, omnino pro regula haberi a Medicis debet, quae in theoreticis &que ac practicis rite explicandis & pertractandis non minoris momenti est. Sicuti enim, secundum D. D. PRÆSIDIS sententiam, legibus auctoritate Superioris stabilitatis, & divinæ & humanae res: ita etiam certis motuum legibus, res naturales vel quae fiunt in corpore humano disponuntur & ordinantur.

### §. III.

Cum itaque caput inter præcipua illa membra sit, quæ ex compluribus fibroso - nerveis tunicis & membranis exquisitissimæ motionis & sensationis texta atque constructa sunt, non mirum est, hoc ipsum etiam persæpiens diuturnis & atrocibus doloribus domicilium quasi & fixam fedem subministrare. Si quidem externas &que ac internas capitinis partes, eodem quam nunc modo nominavimus, textura gaude-re conspicimus. Est enim extra cranium membrana, ipsum hoc os proxime cingens, pericranii nomine nota, quæ dum ad omnia ossa & eorum sinus in parte non capillata exporrigitur, periosteum dicitur. Intra cranium in conspectum prodit membrana, quæ ob fibrarum copiam & crassitatem qua composita est, duræ matris sibi nomen acquisivit, & non modo cerebri cerebellique superiorem & inferiorem partem invexit,

vestit, sed & ipsis nervis originem porrigit. Conspicitur porro intra cranium, ipsa sic dicta pia mater, quæ nobis tamen quia ex fibris tensilibus carneis & nervosis elasticis non est constructa, sed ex tenuibus tantum lamellis composita, nec ad motum nec ad sensum quicquam conferre videtur; ut eahdem potius vasis ad cerebrum pertinentibus quoddam fulcimentum præbere censemus: ipsum enim cerebrum, quia caret ejusmodi fibrarum structura, omnis motionis & sensationis expers esse videmus.

#### §. IV.

Persepximus autem, harum sensuum membranarum ac partium non unam eandemque esse texturam, dum aliæ aliis sunt teneriores, crassiores & magis vel minus tensiles, hinc excitatas etiam in ipsis molestas sensationes, quarum aliæ remissiores, aliæ acutiores & intensiores, variare & differre nihil mirum est. Evidet nos statuimus, dolorum qui fiunt in capite, & quidem gravissimorum ac fere intolerabilium, præcipuam & frequentiorem sedem pericranium, rariorem duram matrem præbere, sed hanc majori cum periculo, videlicet phrenitidis, convulsionum, epilepsie, vel etiam apoplexia aut hemiplexia; cuiusmodi dolor plerumque cum molesta & forti intra caput pulsatione, vel cum repentina punctura conjungi solet. Minus periculi alit, si dolor est in ipsa quæ caput tegit cute, præsertim in interiori ejus parte pericranio vicina, quam vasa sanguifera in copia percurrent; quo casu dolor

dolor solet esse magis obtusus, gravatus & pressorius. Alia vero doloris & valde acuti species est, quæ intra ossium crani interiores cavitates seu sinus, atque ut plurimum frontis, propter membranam, ex tunica pituitaria quæ nascitur, tenerrimam hæc osa interioris cingentem, sedem suam obtinet.

## §. V.

Quod vero magis in integumentis capitis & præcipue in pericranio sedes & causa dolorum, rarius vero in membranis quæ cerebrum cingunt sit collaudanda, id abunde vel ex unico hoc manifestum esse censeo, quod qui gravi dolore capitis laborant, nec præsentius, nec efficacius lenimen & solamen, quam ab externis epithematibus ac capitiluvii discentibus, emplastris quoque anodynisi, item a vesicatoriis vel setaceis opportune applicatis, quorum singulorum virtus difficillime ad interiora cranii penetrare poterit, inveniant.

## §. VI.

Ingens quoque doloris in capite, ratione loci quem occupat, item ratione vehementie ac diuturnitatis disserimen est, quo inde etiam diversa ab auctoribus ipsi imposita sunt nomina. Nam si levior est, & modo partem capitis afficit, dicitur cephalalgia; si diutinior & gravior, ac totum caput occupat, cephalæ nomen accipit, quam GALENVS ita optimè describit: *pr. 3. tr. 2. cap. 35. cephalæ est dolor totius capitis diutinus & gregue solubilis, qui a parva occasione vehe-*

vehementes habet exacerbationes, adeo, ut neque strepitum, neque vocem violentam, neque luminis splendorem, neque motum tolerare possit patients, sed tranquillitatem & obscurum cubiculum querat, idque ob doloris vehementiam; quippe alii se mallo percuti arbitrantur, alii caput conundit distendique sentiunt, ac paucis ad oculorum radices dolor extenditur: quo in dolore totam capitum membranam vehementer afflcam esse non dubitamus.

§. VII.

Sæpius fit, ut unum tantum latus dolor obsideat, altero salvo & sine dolore; tunc græce hemi-crana vocatur. Interdum etiam in certo tantum verticis loco circumscripto fixus hæret dolor, ita ut vix magnitudine grossum vel imperialem æquet, mulieribus & quidem hystericis familiaris; qui clavi nomine insignitur. Quandoque dolor frontem & loca super cilia acutissimus obsidet: alius solum synciput, alius occiput, alius verticem prope suturam, alius tempora magis occupat. Neque una eademque solet esse sensatio: nam alius acutus, pungitivus, lancinans dolor est, alius contusivus, gravatus & pressorius, alius rursus constrictorius, quidam æstuosus & inflammas, alius frigidus est, qualis in mulieribus potissimum verticem ferire solet, ut quasi se glaciem gelidam in ipso gestare conquerantur,

§. VIII.

In genere vero omnis doloris cephalici causam, a liberiori & æquabili sanguinis per vasa san-

B

gui-

guifera , quibus cutis capitis , pericranium , ipsaque dura mater instruta sunt , progressivo & circulari motu impedito , tanquam a fonte derivamus . Nullus certe Medicorum exactius , & secundum leges mechanicas , genesin doloris hujus demonstravit , ipso HIPPOCRATE , qui lib. de flatibus §. 13 ita rem perbellè exprimit : *sanguinis* , inquit , *transitus in capite magna angustia coarctatur* , cuius abundantia ac conclusio dolorem excitat . *Sanguis enim ipsa natura calidus existens* , vi coactus , per angustam viam transire cellerrime non potest , cum multa impedimento sint obstacula & oppilations ; quapropter etiam pulsus fiunt circa tempora . Qui sane locus , Hippocrati non penitus incognitum fuisse sanguinis progressivum motum ex arteriis in venas , satis abunde que declarat , obstacula enim quæ liberiorem transitum denegant vocat oppilations , quæ in vasis revehentibus , quia carent impulsu , unde tardior & lentior motus , consistunt . Id quod etiam dissectiones ex gravi cephalæa mortuorum confirmare videntur , nam teste BONETO , WEPFERO , PECHLINO aliisque , sinus cerebri , iugulares etiam internæ & externæ venæ , sanguine mucoso crasso , imo pseudopolypis subinde infarctæ fuerunt repertæ : quod etiam nos in malo epileptico demortuis aliquoties observavimus . Si enim major sanguinis copia ad caput fertur , quam ipsæ venæ eadem celeritate reducere possunt , vasa arteriosa , & inter hæc maxime minima & capillaria , a congesto sanguine valde distenduntur & ipsæ mem-

membranæ insigniter premuntur ; qua ratione tristis illa sensatio excitatur.

§. IX.

Notandum vero hoc loco est, quod pro conditione, intemperie vel vitio sanguinis , si vel nimia copia peccat, vel nimis spissus & glutinosus , vel sero valde acri refertus est , alia etiam atque alia inde doloris species enascetur. Nam quando is impetuose & nimia copia in membranas irruit , quod præcipue de plethoricis & ubi confusa per nares fluxio supprimitur, nec non de adolescentibus valet, dolor totum caput occupare solet ; quod tunc calet, tumet, dolet, rubet, vasa turgescunt, fortiter pulsant præsertim circa ingulum & tempora , nares aridæ & sicca sunt, fauces ardor & sitis occupat. Talem dolorem veteres a caula calida suscitari dixerunt.

§. IX.

Vbi sanguis in vasis capitis collectus multo scatet & mucido sero , vel ex obstructa aut suppressa, quod sepius accidit, coryza aut gravedine, dolor in capite oboritur , tunc magis gravatus, obtusus, pressorius, maxime in antica parte atque in fronte esse solet, quandoque etiam caput instar ponderis grave est, ut vix in altum possit elevari. Non raro evenit, ut in ipsis capitis cute, in vertice præsertim, tumores quibus digitii imprimi possunt exsurgant, pulsu interea languido, facieque livida existente : Quod inde a longo iam tempore CELSVS notavit, lib. IV.

B 2

cap.

cap. 2. ita differens : præter hec invenitur genus doloris,  
quod potest longum esse , ubi humor cutim inflat , enque in-  
tumescit & prementi dígito cedit. Veteres hujusmodi  
dolorem a causa frigida deditxerunt.

## §. XI.

Deterior doloris & magis pervicacis species  
est , qui accidit lue Venerea vel Gallicâ affectis , cum  
materia serosa, acris, caustica firmius pericranio infidet  
& interdum ipsum cranium cariosum reddit , quæ  
difficillime remediis cedit atque sanescit. Ejusdem  
generis esse solet is dolor , qui a materia falino cau-  
stica indolis ad habitum corporis propulsâ & postea  
retrocedente nascitur ; uti id D. D. PRÆSES in ar-  
thritide, podagra, scabie, erysipelate capitis, gutra ro-  
sacea laborantibus, sœpius in praxi observavit. In va-  
riolis & morbillis, antequam peccans materia , natu-  
ræ robore ad extimam cutem propellitur, vel quod  
pejus repellitur, atrox saepe cum febre aut delirio, vel  
in infantibus cum epilepsia, dolor caput torquet; quod  
**cafu** , ubi materia exigua caustica dolorem efficit,  
præternaturalis & vehemens membranarum potius  
strictura, quam earundem distensio, quæ a copia seri &  
sanguinis sit, locum habet.

## §. XII.

Sœpius in capite dolor est acutissimus , fere in-  
tolerabilis, fixus & diutius affligens, qualis & totius  
corporis & animi vires pessundat, somnum tollit, con-  
coctionem impedit , nauseam & ciborum fastidium  
parit,

parit, & alios s̄epe gravissimos capit̄is & nervorum morbos, ut sunt: vertigo, oculorum caligo, & suffusio, cœcitas, aurium tinnitus, convulsio, epilepsia, post se trahit, atque etiam reliquas nervosas corporis partes in confusum trahendo, vomitum, alvi strictruram, extremorum refrigerationem, faciemque moribundo similem efficit. Id quod a veteribus quoque animadversum videmus. CELSVS enim lib. IV. cap. 2. scribit: *cephalæ note sunt: horror validus, nervorum resolutio, oculorum caligo, mentis alienatio, vomitus, vixis suppressio, corporis refrigeratio, animæ defactio.*

§. XIII.

Jam quod attinet porro ad causas doloris cephalici, inter has præcipua est ingens capit̄is & partium in eo contentarum imbecillitas: pars enim quo debilior, eo facilius & promptius humorem alienum admittit, recipit ac retinet, atque inde stagnatio, humoris stagnantis corruptio, partiumque nervosarum afflictio contingunt. Novimus s̄epius cephalalgiam hereditariam, a parentibus debili capit̄is constitutio ne præditis acceptam; vidimus etiam a diuturno ani mi mœrore, a præposta Venere, a nimiis lucubrationibus & mentis fatigationibus, item a nimis cerebra sanguinis missione, vel effrenibus hæmorrhagiis caput ita debilitatum fuisse, ut graves inde dolores, nec non alii, qui vehementer caput infestant morbi, exorti fuerint.

B 3

§. XIV.

## §. XIV.

Neque ex classe cauſarum, quæ vocantur remotæ, excludi debet frigus, quod uti omnibus nervosis partibus, si jam dolore premuntur, infestum est, & liberam tranſpirationem per cutim impedit: ita maxime nocet, si capiti denudato admittitur, vel ſi id non ſatis contra nocturnum frigus fuerit munitum, vel etiam, ſi a longo ſermone vel motu corporis nimio, aut a foſe, aut ab ira, vel ab ingeſtis largius potibus ſpirituofis & inebriantibus, pluvioso cœlo, nocturno praefertim, repente exponitur.

## §. XV.

Memorandum id quoque eſt, cephalalgiam ſæpius tantummodo eſſe ſympτoma, quod morbo deum accedit. Ita frequentius febribus continuis, intermittentibus quoque, & inter has maxime quartanæ jungitur: atque vix quicquam in praxi crebrius occurrit, quam quod mensibus inordinate prodeuntibus vel imminentibus, caput doleat graviflme; ſpafſica videlicet dum ex imo ventre ſtricturæ, in caput ſuum effectum exerunt. Digestionis vitio & affectu ſic dicto hypochondriaco laborantibus frequenter aſſociatur: nam ſi prima regio vitiosorum humorum colluvie ſcatet, & inde oborientes ſpafſi ac flatuſ, humores ad caput plus iusto urgent, numia eorum congeſtio, vaſorum diſtentioſes, a quibus tunicarum nervofarum laſio fit, parit. Conſtat etiam hemicrania cauſam, a ſtomachi vitio frequentius oriri, dum hoc non

non bene concoquente , multæ generantur cruditates , quæ cum succo ciborum chyloſo permixtæ , per thoracicum ductum ad cor adductæ , ac protinus ad caput delatæ , antequam per congrua corporis e- munctoria expurgatæ fuerint , dolores periodicos ef- ficiunt ; qui absolute digestione utplurimum inva- dunt.

### §. XVI.

Observamus porro ætatem puerilem valde do- loribus esse obnoxiam , tum quod in hac ætate minus exæta servatur diæta & ventriculus cibis dulcibus , fructibus horeis , placentis ac laeticiis oneratur ; tum quod etiam vermes , quibus gignendis pueri peroppor- tunisunt , causam hujus mali præbent , dum putres & corrupti cum chylo humores ad caput delati , partibus ibi nervosis labem & vitium inferunt . Sciendum quo- que est non semper & continenter dolorem hunc cru- ciare , sed dilucida sua ac definita interdum habere in- tervalla , nimirum ut non tantum magno ægrorum so- latio remittat , sed ad notabile etiam tempus ægrorum deserat , qui certis tamen postea horis , diebus , imo mensibus & annis revertitur : certo tunc indi- cio , causam magis in remotis partibus , maxime o- mnium in ventriculo & imo ventre latitare ; quod in- primis in viris , qui fluxui hæmorrhoidali sunt vel fuerunt obnoxii , vel malo hypochondriaco affecti , D. D. PRÆSES observavit .

### §. XVIII.

## §. XVII.

Neque semper sine periculo cephalalgia est, nam si causa doloris magis intra cranium est, si dolor vehementer cum febre continente excruciat & somnum tollit, phrenitidem prænunciat; si vero subito in hypochondriacis vel in melancholiā probris, præferunt graviori animi affectu præcedente oritur, & somnum atque appetentiam auffert, ac cum auditus difficultate vasorumque interna pulsatione jungitur, hæc vero cuncta sine febre fiunt, furorem præfigit. Ubi vero subitum & peracutum in capite dolorem aurium tinnitus, difficilis incessus, genuum imbecillitas, & impeditus tardusque sermo sequitur, signum est futuri morbi attoniti vel etiam hemiplexiæ; qui tamen magis in opposito latere quam in affecto excruciat, dum hoc percipiendo dolori non amplius par est. Neque prætermittendam esse censeo, quod in adolescentibus & junioribus, frequentiores cephalalgiae, futuræ arthritidis vel podagræ indicium præbeant.

## §. XVIII.

Quod attinet ad curationem hujus mali, cum variæ ejus sint causæ, probe ea debet discerni, quia eisdem removendis, omnis medendi ratio superstruita esse debet; in genere tamen omnes indicationes hunc morbum curandi, sequentibus absolvuntur. Primo sanguis & humores impetuose ad caput congesti, partim ad loca ignobiliora derivandi, partim ido-

idoneis remediis discutiendi sunt. Secundo strieturæ membranarum capitis nervosarum spasticæ, quæ perpetuo fere sub atrociori dolore sunt, & confessionis lege functiones totius corporis turbant, leniri mitigarique debent. Tertio æqualis & liberius sanguinis & humorum per capitis vasa progressus, omni modo procurandus. Quarto materia vitiœ, quæcumque illa fuerit, per convenientia emunctoria, placide & quantum fieri potest beneficio transpirationis subducenda. Tandem ad avertendas recidivas caput & totum nervorum sistema roborandum.

§. XIX.

Ad primam igitur indicationem exsequendam, si causa doloris est plethora, sive nimius ex inferioribus locis ad caput per spasmos appulsus & coactus sanguis, non facile præsentius auxilium quam in sanguinis missione erit, quæ in locis non procul a parte affecta, melioris derivationis causa instituenda est, v. g. sub lingua aut in fronte, vel venæ ingularis externæ incisione, aut hirudinum pone aures applicatio-ne; hac tamen adhibita observatione, ut si corpus nimis turget sanguine, primo vena circa pedum talos pertundatur, ne dato exitu maior sanguinis ad caput invitetur fluxus, postea secundo vel altero die vena circa caput aperiri potest. Consultum vero est, ante sanguinis detractionem, alvum a fordibus purgare, quod commode & insigni cum levamine clysteribus

C

bus fieri potest domesticis, vel etiam per infusum mannatum & rhabarbarinum, adjecto sale quodam aperitiyo, ut cremore tartari, vel sale Sedlizensi.

§. XX.

Ad compescendum vero nimium sanguinis abundantis & ebullientis orgasmum, mixturam blonde diapnoicam & temperantem, ex aqua florū tiliæ, liliorum convallium, sambuci, cerasorum nigrorum, antimoniio diaphoretico, nitro purificato, cornu cervi usto, cinnabari & syrupo papaveris albi compositam, dare expedit. Externe vero epithema discutiens & temperans fronti & capiti cum linteo duplicato est applicandum, cuius formula hæc esse potest: Recipe aceti rosaçei, rutacei ana unciam & dimidiam, spiritus roſarum drachmas duas in quo camphoræ grana sex soluta, nitri purificati serupulos duos, olei ligni Rhodii guttas quindecim: vel sequens emulſio cum fructu usurpari poterit. Recipe nucleorum Perficerum, amygdalarum amararum ana unicam dimidiam, semi-nis papaveris albi drachmas duas, aquæ roſarum, florū sambuci, cerasorum nigrorum ana uncias duas. Fiat emulſio, adde nitri drachmam dimidiam, camphoræ in oleo amygdalarum dulcium solutæ grana quinque M. D.

§. XXI.

Alia vero medendi ratione opus est, si a seri visci intra vel extra crânum stagnantis copia, dolorum torpore & gravitate saepe valde diuturnus innascitur,

scitur, ubi nec sanguinis missiones, nec leniora laxantia quicquam efficere possunt, sed dare convenit paulo valentiora, quæ crassos glutinosos humores dissoluendi & simul per alvum expellendi facultate poluent. Id quod utrumque egregie præstant, quæ sequuntur Pilulæ: Recipe gummi ammoniaci depurati, sagapeni, myrræ electæ, aloës rosatæ, extracti hellebori nigri, resinæ jalappæ, mercurii dulcis, cinnabaris præparatæ ana drachmam dimidiam, extracti croci, pulveris castorei, salis succini ana grana XV. M.F. Pil. ex scrupulo, numero XII. quorum sex vesperi, & sex postero die mane sumi possunt, quo die etiam ab omni cibo abstinentium & tenuia tantum iusecula ægro præbenda sunt; tribus vero diebus exactis, idem repeti potest remedium. Vacuata sic sufficienter vitiōsi seri copia, medicina utendum est tonica roborante & simul diuretica; quo fine D.D. PRÆSES multortes mixturam, quæ extincturæ antimonii acris partibus quatuor, essentiæ succini & spiritus bezoardici Bussiai, utriusque partibus duabus erat composita, summo cum fructu expertus est; cuius usus, dosin bis vel ter de die sumendo, per septimanam & ultra continuari potest. Nam quæ fibras torpidas, roborando earum vim motricem, excitant, simulque urinæ fluxum promovent, ea in hac cephalalgiae specie, quæ ab extravasato sero intra cutim & cranium, vel ctiam in ipso cerebro oritur, valde proficua observavimus. Præter haec autem cum CELSO, laborem

borem & exercitationem usque ad sudorem, vehementem fricationem, & cibos ac potionēs quae urinam movent, in tali doloris genere commendamus.

§. XXXII.

Si his in usum vocatis dolor non discutitur, confugiendum etiam ad externa, inter quae vesicatoria virtutis sunt expertissimæ, quia pernicioso stagnanti humori exitum concedunt. Nos in usū habemus emplastrum meliloti, cuius uncia cum drachma cantharidum misceatur, adiectis granis aliquot camphoræ. Hoc magnitudine thaleri nuchæ upplicari, & postea renovando illud, per longum tempus continuari potest; quod sine ullo incommodo insignem serosi humoris copiam fundit. In malo graviori autem & ubi a sero sub cute capitī stagnante, tumor tactu & visu, nec non ex dolore cognoscitur, beatus WEPFERVS toti raso capiti emplastrum vesicatorium, instar eucuphæ imposuit, cuius effectus hic fuit, ut sine obortis vesicis magnam seri viscidi subtraxerit copiam: quod remedii genus iam tum ab ipso RIVERO, vide ejus observat. in pertinaci capitī dolore, summo cum fructu usurpatum fuisse animadvertisimus,

§. XXXIII.

Interdum fit, ut præter conluetudinem intensus dolor, certum duntaxat locum occupet, a materia, fixius & paulo profundius membranis inharente, oriundus; quo casu Medicus Gallus cum prudentia doctus & in observatione curiosus CHENEAV, vide

fis

sis ejus *observationes*, miraculosum plane herbæ ranunculi pratensis impositæ vesicantem effectum, non satis prædicare potest: de cuius herbæ specie scribit, quod foliis anemonæ assimuletur, & masticata linguam mordeat quam maxime; hujus folia in mortario marmoreo contusa, & simul emplastro perforato apposito, parti applicare jubet. Videtur hæc herba autem haud dissimilem cum moxa possidere effectum, quæ etiam in ejusmodi dolore a Medicorum peritissimis magnopere æstimatur. D. D. PRÆSES rebus sic stantibus, felici aliquoties cum successu, rasæ prius quam occupavit dolor parti, siccum sal volatile salis ammoniaci, cum æquali parte pulveris sinapi mixtum imponi jussit, eo quod paulo fortiorem discussionem, tam profunde inhærens vitiosus humor requirit.

## §. XXIV.

Vbi vero dolor a suppressa coryza, sive a mucō, intra narium concamerationes & sinus, detento oritur, expedit crebro, sal quod vocatur Anglicanum, & nihil aliud est, quam sal volatile siccum salis ammoniaci, cum oleo cephalico, ut lavendulæ vel majoranæ exaltatum, sæpius naribus admovere, vel etiam errhinum pulvarem & qui leniter sternutationem movet, qui ex herba majoranæ, betonicæ, maro vero, floribus liliorum convallium, floribus benzoës & pulvere caryophyllorum concinnatur, interioribus nari um admittere.

C 3

§. XXV.

## §. XXV.

Quod si vero causa chronicæ & immanis doloris, in valde corrupti seri & sanguinis massa, ut sit in lue Gallica & scorbutica, fundamentum suum habet, tunc utique necessarium est, congruis & specificis remediis hisce morbis sanandis accommodatis, eum aggredi, quo faciunt quam maxime lignorum decocta cum antimonio crudo, si prius humores corrupti per alvum probe, per ejusmodi quas jam supra dedimus pilulas, exclusi fuerint. Multum etiam ex diætericis confert, abstinentia sive inedia per unum vel alterum diem, nec non labor & exercitatio corporis ad sudorem usque. Utile quoque est, in pertinaciæ tali morbo, ab impuro qui nascitur sero, per medicinam, sudorem provocare: cui scopo egregie sequens pulvis satisfacit. Recipe cinnabaris nativæ præparatæ, cerussæ antimonii sive bezoardici mineralis, salis volatilis vipera um vel cornu cervi, nitri purificati, singulorum grana X, camphoræ granum dimidium, pro dosi, deluper bibendo decoctum sanguinem purificans.

## §. XXVI.

Hemicrania & præsertim periodica, causam latenter præsertim prima in regione habet, nimisrum si ventriculus cum annexo duodeno, vitiosa humorum colluvie refertus est, quem lenioribus tunc emeticis evacuare proficit: alvum quoque ducere & per inferiora fortes expurgare, noxiunque humorem a capi-

capite derivare, interdum valde est necessarium; id quod optime, per Pilulas polychrestas Balsamicas, fieri potest. Postea elixiria stomachica, tonum ventriculi & intestinorum roborantia, sunt subiungenda. Si vero ab inordinato mensium vel haemorrhoidum fluxu, causa doloris nascitur, remediis que salutares excretiones in iustum & convenientem ordinem redigunt, prudenter est utendum.

*S. XXVII.*

Absoluta sic doloris cephalici cura, quasdam necessarias cautelas & observationes ad eam spectantes subiicere haud erit inutile. Quandocunque igitur dirus & acutus dolor, praesertim qui consistit in sincipite & sinibus frontalibus, tanta vi pollet, ut vires mirum in modum reficiendo, vita dicrimen minetur, ablatio causae morbi minime erit expectanda, sed ægro potius levamen quoddam afferendum est praesentaneum; eo quod viribus amissis, Medicus frustra laboret. Quin imo ipsa doloris acerbitas saepe tanta est, ut graviora symptomata, vigiliam astiduam, animi deliquia, mentisque alienationem accerfat. Erunt ergo tum remedia interna, tum externa, ad dolorem levandum primario dirigenda. D.D. PRÆSES vero ex internis, primas utique partes massæ pilularum Wildegansii, quando cum cinnabari nativa miscetur, nec non pilulis Starekii deferre solet. Inter externa vero nec tutius, nec virtute præstantius inventum remedium, quam linimentum spissius ex sequentibus

tibus ingredientibus, sub tali forma paratum. Sumitur enim olei nucis moschatae expressi uncia dimidia, resinæ styracis calamithæ, resinæ corticis thymiamatis æquali pondere drachma, extracti croci, balsami Peruviani, utriusque drachma dimidia, olei ligni Rhodii guttæ XII. M. & linimentum fit spissius, quod corio inductum, magnitudine imperialis temporibus applicetur.

### §. XXVIII.

*Quando dolor acutissimus vixque tolerabilis, cavernis narium, sinibusque ostiis capitis diutius infixus hæret, qui ab exigua sanguinis vel humoris extravasati quantitate, sub membrana hos sinus tegente, producitur, sedare non modo, per jam dicta remedia, doloris atrociam convenit, sed & laborandum est, ut sanguinis appulsus, sub quo dolor augetur, minuatur; quod commodissime more Ägyptiacorum Medicorum scarificatione facta in naribus, vel compendiosiori modo, frustum straminis paulo durius valide & subito naribus intrudendo, sanguine largius saepe inde profluente, præstari potest.*

### §. XXIX.

*Si vero sub membrana pericranii extravasatus, mordax & acris humor inclusus, os incipit cariosum reddere, tum omnibus aliis in caſsum applicatis, ad incisionem accedendum est; quæ uti in paronychia ex simili fere causa orta, ita hic mirabile ferme adfert auxilium. Si vero jam caries ad diploēn, ipsamque lamel-*

lamellam inferiorem penetraverit, unicum auxilium  
in trepanatione provida erit reponendum.

§. XXX.

Porro in genere sciendum est, in omni, a qua-  
cunque etiam causa proficiscatur, dolore cephalico,  
initium curationis ab injectione enematis, item a  
venesectione, si plethora id exigit, faciendum esse,  
ita tamen ut alii apertio huic præcedat. Postea de  
aliorum congruorum remediorum tam internorum  
quam externorum usu erit decernendum. Sæpius  
plethora soluta, ad meliorem derivationem causæ pec-  
cantis a parte affecta, frontis venam aperire expedit.  
Et tunc Clarissimi HEVRNII monitum, quod *notis  
in aph. 68. HIPPOCRATIS, Seçt. V.* insinuat, dignum  
utique observatione est. Suadet nempe, *ante secdis-  
nem, ut vinculum collo injiciatur, quo intumescat haec ve-  
na, que oblique erit secanda, cavendo diligenter ne ledar-  
tur tunica pericranii.*

§. XXXI.

Arteriotomiam in temporibus celebrandam,  
præsentaneam & pene mirandam, ceteris omnibus  
inaniter adhibitis, sæpius opem ferre & lenimen, pro-  
batissimorum Medicorum fide constat. Neque ego,  
quanquam nunquam hoc remedio usus sum detrahere  
illi quicquam volo. Ita vero de hoc existimo, quod si  
languis, ex ramo venæ jugularis externo aperto, ex-  
trahatur longe melius retardatum circularem sanguini-  
nis motum in capite restitui, humoremque subsisten-

D

tem

tem & extravasatum, a quo pendet dolor, felicius dimoveri & excludi posse, dum videlicet sanguis arteriosus, majori ut antea celeritate, in spatium venae ab extractione sanguinis evacuatum fertur. Si vero, ex consilio & deliberatione Medicorum, temporalis vena pertundi debet, tunc optime haec operatio juxta aurem prope articulationem mandibulae, ubi periculo vacat celebranda erit.

## §. XXXII.

In omni dolore, ubi vires non ferunt sanguinis detractionem, neque ejus satis est, pediluvia, quæ nunquam non in hoc affectu utilia, modo sint temperatoria, ad divertendum sanguinis & humorum motum ad partes infernas, cum fructu adhiberi possunt; neque pedum frictiones paulo asperiores, cum pannis sunt improbandæ; nec rubefacientia, ut taleoli raphani rusticani cum sale mixti pedibus imponendi, usu suo destituuntur.

## §. XXXIII.

Circa epithemata actu frigida tenendum hoc est, quod cum summa circumspetione applicanda sint. Prostant enim exempla eorum, etiam nobis cognita, qui, in febribus præsertim exanthematicis, variolis, morbilis, purpura, ubi, natura per extremam cutim, peccantem materiam, sub specie halituum non sine fructu excludere nititur, per crebrius in dolore capitum applicata frigidiora epithemata, in cœcitatatem addies vitæ durantem, in epiphoras suffusiones

fionesque oculorum fuerunt præcipitati. Neque etiam semper confert in hoc dolore profigando, pluribus & variis topicis uti, quorum applicatio interdum plus periculi habet, plus etiam prudentiæ a Medico desiderat, quam internorum usus. Neque omnia, omnibus æque salutariter convenient: nam quæ alius ferre potest, ea alium incommodant.

§. XXXIV.

In ipso paroxysmo ad atrocem dolorem multendum, non una sed pluribus vicibus, insignem efficiaciam a liquore nostro minerali, aliquot guttulis ejus, succharo in pulverem redacto instillatis & in os sumitis. experti sumus. Extra paroxysmum ad roboram caput, vel etiam ut illud a recursu mali vindicetur, balsamo nostro analiptico quod vitale audit, si vel exterius temporibus aut vertici applicetur, aut naribus modeste hauriatur, vel eius aliquot guttulae succharo instillatae cum infuso Theiformi sumantur, peculiares plane, non sine ratione & experientia, virtutes & laudes tribuimus.

§. XXXV.

Quandocunque nimium ebulliens & variis de causis in motum concitatiorem actus sanguis, doloris originem præbet, neutquam purgantia vel eva-  
cuantia, sed potius refrigerantia & temperantia locum inveniunt: quo, ego nomine plurimum solius aquæ frigidæ pótui, atque nitrofis tribuere soleo. Et certe in hac re non est de nihilo, eximum

D 2

nostri


nostri HIPPOCRATIS monitum, qui *libr. de ratione victus in morb. acutis*, sic scribit : *Animadvertere oportet in iis quibus caput, vel ob exercitationes vel cursus, vel iter, venationem, vel alium quendam intempestivum laborem dolet; horum quidem nullos purgaveris.* Vult enim HIPPOCRATES, ubi ex calore vel sanguinis fervore oboritur dolor, purgantibus uti nos non debere.

## §. XXXVI.

Ad curam hujus affectus præservatoriam quod concernit, in hoc totus ejus vertitur cardo, ut omnia illa, quæ ex abusu rerum nonnaturalium, ad foeturam huius malis producendam contulerunt, evitentur. Ex hoc genere sunt : aër frigidus & nubilosus, atranspiratio per eum prohibita, crapula, ingluvies, vinarum acidorum præsertim sulphuratorum nimia potatio, pedum refrigeratio, nimia sanguinis per affectus aut motum vehementiorem commotio, subito superveniens refrigeratio, atque in studiis & ingenii laboribus intemperantia; fuga insuper ciborum dulcium, pinguium, trixorum in butyro, cerevisiarum lupulatarum, omniumque quæ inflant, ut pisa, fabæ, nec non quæ difficilioris concoctionis, caro bovilla senio confecta, quam sedulo commendanda. Aqua vero pura vel vinum multa aqua dilutum ingens ab solvet punctionem.

F I N I S.





01 A 6545




Sb.

V D 18

VON





43.

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA,  
DE  
**DOLORE CEPHALICO**  
QVAM  
SVB PRÆSIDIO  
**DN. FRIDERICI HOFFMANNI**  
ORDINIS MEDICI SENIORIS & h. t.  
DECANI  
**PRO LICENTIA**  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS RITE  
CONSEQVENDIS  
*Ad. d. Martii Anno MDCCXXXI.*  
Publico eruditorum examini subjiciet  
**MATTHIAS BENTZIG**  
HVN GARVS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

